

Alte Drucke

**MATTHÆI || GALENI, S. T. || DOCTORIS, ET || APVD
DVACENSES || CANCELLARII, || COMMENTARIVS || In D.
PAVLI ad Hebræos || Epistolam. || Vnà cum eiusdem ...**

Galen, Matthaeus van

Lovanii, 1599

CAPVT NONVM.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150590

quæ circa veniente Christo merito sublata est.

CAPVT NONVM.



QUAE in octavo capite compendiosius perstricta sunt, nunc Apostolus veluti commentario dilucidiora factururus, ostendit diligentius Christum longè aliud tabernaculum, & sacrificium habere, & obiter, quò illa vetera spectarint; ne planè suo tempore quis inutilia fuisse putaret.

Syr.

Vulg.

In primo autem erant mandata ministerij, & domus sancta secularis. In habitaculo nāque primo fabricato erat candelabrum, & mensa, & panis propositionis; & vocabatur domus sancta. Habitaculum autem interius, quod post secundum velum vocabatur sanctū sanctorum, in quo thuribulum aureum, & arca testamenti, quæ obdu-

Habuit quidē et prius iustificationes cultura, & sanctū seculare. Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, et mēsa, & propositio panum; quæ dicitur sancta. Post velamentum autem secundum tabernaculū, quod dicitur sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcā testamē-

obdu-

x 2

sta-

obducta erat vndi- *stamenti circumte-*
 que auro; erat in ea *etiam ex omni parte*
 urna aurea, in qua *auro, in qua urna*
 manna, & virga Aa- *aurea, habens man-*
 ronis, quæ floruerat, *na, & virga Aa-*
 & tabulæ testamenti *rō, quæ fronderat,*
 & supra eam Cheru- *& tabulæ testamē-*
 bim gloriæ, obum- *ti, superque eam*
 brantes propitiato- *erāt Cherubim glo-*
 rium. Non est autem *ria, obūbrantia pro-*
 tempus nobis dicen- *pitiatoriū. Dē qui-*
 di de his figillatim. *bus nō est modō di-*
cendum per singula.

Si cui videantur ista grammatica, & historica
 parum habere utilitatis; secum expendat velim
 cum magnas interpretum contentiones, tum inter ip-
 sum Moſen, & Paulum non aspernādas in speciem
 antilogias: nè dicam nostram à Paulo vellicari negli-
 gentiam, dum has minutias tam accuratè percenser,
 tamen si penè desperans sibi per otium de ijs fore locum
 exactius differendi; ut à nobis eas oporteat expendi
 diligentius, tãquàm vehementer facientes ad vtrius-
 que testamenti discrimen instituendum.

In primo autem erant mandata ministerij.
 Regia editio legit in omnibus suis exemplaribus Ta-
 bernaculo, quam vocè Photius notham esse adse-
 rit: certum est illud additamentum obscurare men-
 tem Apostoli. Hæretici pro sua modestia, fœdus re-
 ponunt: quod etsi non malè intelligatur; non tamen
 ferenda

ferenda temeritatis, apostolico textui quicquam at-
texere. Hic igitur fuit Pauli sensus, superiori capiti
coherens: Dum adsero vetus testamentum, vtpotè
iam senio fatiscens, esse antiquatum, & abrogatum;
absit, vt quispiam intelligat nihil habuisse, quod ad
Dei cultum, & iustitiam pertineret. Nam fuerunt
in primis διατάγματα λαϊκάς, Iustificaciones cul-
tus, siue latriæ, quas interpretes vocant cũ syro Pau-
lo mandata, nimirum, legis Moysi lata ad colendum
Deum. Deus enim per Moysen certas dederat cultus
sui rationes, quæ ad hominis iustificationem, adhibi-
ta fide in Christum, non forent inutiles. In ijs autem
erant, & quæ ad ceremonias pertinebāt, & quæ Gra-
ci ἐνολός, id est, mandata (nisi doctrina vox magis
placeat) dicunt, et hicem, ac decalogum complecten-
tia; & postremo κρίματα, id est, iudicia.

Pl. 118. sepè
inculcatur
ista.

Et domus sancta secularis. Quòdnam istud
est τοῦ ἁγίου χώρου? Quidam ex recentioribus mū-
danum vocant: Syrus à seculo, non autem à mundo,
vocem habet hic deductam; quod observatum, quid
hinc sit eruendum, commonstrabit. Græci fere secuti
Chrysostomum, intelligūt de prima parte templi, in
quam non solum Iudæum vulgus, sed & gentiles ad-
mittebantur. Neque verò id alienum ab antiquita-
te Iudaica. Nam Aristæas libro de Septuaginta in-
terp. se missum ad Ierosolimitanos dicit admissum in
eam templi partem, quæ prima parti tabernaculi re-
spondebat; & ad Caligulā Philo refert talem locum
fuisse, ex quo gentiles poterāt adorare Deum, & quæ
pro se offerretur, intueri. Et huic subscribit Iosephus
lib. 2. cap. 16. belli Iud. narrās Politianum ascendis-
se in templū, conspiciatū quæ fas erat, orasse, & re-
uersum

Epistola

uersum ad Cestium. Ista visum est adferre, nè quisquam à Chrysostomo, & suis hunc sine causa locum credat intellectum. Si dicas id non conuenire cum historia comprehensionis Pauli: quid conuenire satis valeat furiosa multitudini, praesertim Iudaorū? Nec plus officit, quod nonnullis non de templo, sed de tabernaculo Moysi verba fieri videtur: quia Mosaiici tabernaculi formam Solomō, quoad licuit, expressit. Eūne igitur locū Paulus intellexit? Certe magna est Graecorum autoritas: neque vel hiscere audeō, si de foret Syri Pauli praesidium. Nā cum habeat vocem, qua ad seculum pertinet: arbitror indicasse locum illum eternam non fuisse, in quo populus ad tempus religioni operam dabat, cum totus ille cultus ad tempus duntaxat esset praescriptus. Et scibi de his iustificationibus, & loco dictum sit, fore in obseruatione perpetua; nō eternitas, sed statutum tempus ostenditur. Itaque ad totum illud Leuiticum tabernaculum, seu in deserto constructum, seu Ierosolimis edificatum, quod euanidum fuit, & verè seculare; ista pertinent. Sic igitur Paulus commissurus res Christi cum Leuiticis, suum his honorem, laudemq; tribuit. Sed progrediamur ad singulas partes huius domus.

In habitaculo namque primo fabricato. Huius domus temporaria prima pars, & media habuit, quae sequuntur.

Candelabrum. Cum ad Solomonis aetatem vsq; tabernaculum in pretio fuerit, videtur probabilius singulariter legi. In templo autem multa fuerunt: vnde placet nonnullis lampadum vocabulum, quae erant in varijs brachijs candelabri, ut ciphuli, & glabuli.

Gulæ ex ramis prominentes. Institutionis causam Moses aperitè refert: situs autè ad meridionale plagam Philo, & Aristæus rationem adferunt, quia solem meridianum representaret.

Et mensa. Hac è regione candelabri sortita est locum ad septentrionem, in media parte templi.

Et panis propositionis, seu facierum. Ita enim vocantur ab Hebræis; quod ordine duplici collocati, se inuicem respicerent.

Exod. 27.

Leuit. 23.

1. Reg. 21.

Matth. 12.

Et vocabatur domus sancta. Ergo proprium nomen huius mediæ partis erat ἁγία; Syris Domus sancta: quia ibi sacrificabatur, suffitus fiebat, & propria religionis functio peragebatur.

Habitaculum autem interius. Syris est positiui gradus. Mirè hic sese fatigant Latini, & Græci interpretes, vtri voci tribuant dictionem Secundū; aiuntq; esse cōfusionē, & synthefin in oratione Pauli, qui tribuerit velo, quod erat tabernaculi: sed noster apertissimè dicit fuisse internum tabernaculum, post velum secundum. Videre est enim Exodi 25. manifestè duo vela præscribi à Deo (quicquid libeat quibusdam recentioribus litigare) alterum, quo sanctum sanctorum tegebatur; alterum, quod ab atrio populiæ seiungebat. Immo si quod res est, dicendum sit; Leuitici loca inter se collatā, probant quatuor, aut plura fuisse: quemadmodum & in templo Solomonis.

Leuit. 4. 7.

14.

Quod post secundum velum. Oppandebatur illud, nè populus nimium esset curiosus.

Vocabatur sanctum sanctorum, id est, sanctissimum. Est enim idiotissimus; sicut virgo virginū quotidie pro sanctissima virgine usurpatur.

Syri vocāt

domū thu-

ris, seu aro-

matum, au-

In quo thuribulum aureū. Græci θυμιατόν, ream.

X 4

quod

quod & de altari thymiamatis intelligi potest. Nec
desunt, qui sic interpretentur, parum (ut videtur)
in mores structura tabernaculi. Moyses enim illud al
tare ante velum sancti sanctorum collocari iusserat.
Itaque de vasculo faciendo suffitui commodo debet
accipi. Quando ergo summus pontifex ingrediebatur
sanctum sanctorum, gerebat thuribulum; et excitato
suffitu honorabat arcam, & propitiatorium.

Et arca testamenti, quæ obducta erat vndi
que auro. Ea satis nota est. Sic autem appellabatur:
quia gemina tabula, quibus inscriptum erat fœdus
initium à Deo cum Iudeis, impositæ erant.

Eratque in ea vna aurea, in qua manna,
Syri manno pronunciant. Cum Deus non ignoraret
Iudeos fastidio habituros hoc genus cibi, voluit vna
nam eo compleri, & in omnē postea servari atatem;
ut non ignorarent posteri, quæ esca nutriti fuerunt
ab optimo Deo homines tam immorigeri.

Et virga Aaronis, quæ floruerat. Moyses fu
se totam rem describit. Est autem intelligendum de
scipione, quem pro more gentis deferebant. Hoc mi
raculo constitit omnibus, Dei beneficio Aaroni dela
tum esse summum sacerdotium. Sed hic hæremus.
Nam cum sacer historicus duarum meminerit solū
modo tabularum: quomodo Paulus ait hæc duo præ
terea fuisse? Hæc enim fuit una ratio, cur plerique ve
teres de hac epistola non admodum senserint magni
ficè. Volunt autem nonnulli esse synecdochen, ac solas
ibi tabulas nominatas; quod tunc sola ad rem face
rent. Sunt qui negent Hebræos eo loco habere parti
culam, quæ nostra. Nisi, respondeat: sed falluntur.
Quia immo commentatores Hebræi ad eum locum
aiunt

aiunt in arca tunc temporis, cum scriberetur historia, præter geminas tabulas, nihil fuisse: cætera verò in thesauros recondita. Et ut fidem faciant, adferunt, quod 4. Reg. 22. narratur, ab Helcia sacerdote reperi-
tū librum Moysi Deuteronomium in gazophylacio domus domini. Nam extructo templo agebantur omnia, & pro religionis incrementō, rerum quoque ad eam spectantium crescebat numerus, ad eò ut fuerint candelabra decem, mensa totidem, & Moysi totum tabernaculū in thesauros referebatur. Non desunt, qui per antonomasiam tabulas indicatas nominatim contendunt, tanquā maioris momenti, reliqua autem esse ex alijs locis intelligenda: & quoniam non semel tabernaculum fœderis appellatur; aiunt arcam esse intelligendam, cum dicitur: Refer in tabernaculum testimonij. Sed quod optimè notauit Augustinus in quæst. tunc neque arca, neque tabernaculum erat constructum. Superest una convenientissima conciliandi ratio; si dicamus, nōdum extructo templo, arcam ob angustiam tabernaculi cuncta ista clausisse, tempore autem Solomonis exempta, & varias in cellas recōdita. Licet in prorsus diuersam inuenit sententiam Theophylactus; nempe, ut prius fuerint diuersis in locis, deinde autem a te Ieremia cōgesta in arcam.

Et supra eam Cherubim gloriæ, id est, glorio-
si, insignia, & honorantia illud adytum. Erāt honorificentissime effigies ex mero auro conflata. Quid autem significet hæc dictio, non satis est constitutum. David Kimhi, & Esdras aiunt accipi pro rei cuiusvis imagine augustioris: ad eò ut 28. cap. Ezechielis putent regem vocari Cherub. Sed Kimhius omnium

Lib. 2. ad.
16.

Exodi. Idē

tamen li. 4.

ad 17. Num-

mer. dicit

iussu in

Exodo v. d

virga in fan-

ctis sancto

rum cū mā

na in arca

poneretur.

Idē habet

lib. 3. in Ex.

ad cap. vlt.

in topogra-

phia taber-

naculū.

וכיארוב

Ad c. 6. Isa-
ia & Ze-
chiel. 10.Esa. 6.
Ezech. 10.
20. & 41.
Concil. 7.
Gene.

ly

diligentissimus, in lexico, & Michlol dicit vocem
compositam sonare, Sicuti puer) vt capb similitudinis
sit. & rish à rabio, quod puerum (Chaldaeis valet: èd
quod plerique persuasum habeant Cherubim solere
pingi formæ pueri. Sed cap. 7. Calo. Hier. Areopagi-
ta de nominibus hebraeis angelorum non sine numine
differens, ait constâter Hebræos adserere dici Mul-
titudinem scientia; cuius interpretationem Hierony-
mus non uno sequitur loco. Si quid autem de forma,
qua Moses. & Solomon exsculpebât, & pingebât,
sit dicendum: Flavius Iosephus lib. 8. ca. 3. antiq. ait
neminem qualia (Græci enim neutro genere efferût)
fuerunt dicere, vel conijcere posse; libri tamen 3. cap.
8. dicit esse animalia volatilem figurâ habentia, quæ
à nullo hominum visa sint; vt is hac in re nō satis con-
stare sibi videatur. Apud Ezech. ca. 10. & Exod. c.
25. satis liquet humanam habuisse figuram; alatos
autem vbique constat, nec puerilis illa forma per om-
nia dissimilis est. Ne autem hac in re diutius im-
moremur: Nicæni Patres actione quarta nobis præ-
scripserunt, dicentes humana semper effigie, & qui-
dem iuuenili pictos; ubi & alia non indigna cognitu
legere est.

Obumbrantes. Nam cum à dextra, leuag, af-
siderent; vterque altera ala mēsam adoperiebât. Sy-
rus addit aal.

Propitiatorium. Istud erat aurea mēsa, & la-
ta cubitum vnum, & dimidium, longa duos cubitos,
& dimidium; quam vtrinque Cherubim sustenta-
bant. Designat autem perpeñionem domini, & Ser-
uatoris nostri Iesu Christi, & ipsum quoque. Nam
vocem hebraeam nihil aliud nobis licet interpretari,
quàm

quàm ἐπιθεμα. καὶ ἰδασθῆναι. Quamvis Hebræi recē-
tiores defenſaculum reddere malint, excipit̃ dis pul-
ueribus superexpansam arca laminam intelligentes:
cū Septuaginta, ut iam dictum est, & Syrus Pau-
lus per chuseio reddiderint; non possumus ambigere,
quid sequendum.

אֵיחָד

Non autem tempus nobis, &c. Nimis lon-
gum foret harum rerum mysteria cuncta declarare.
Hoc dixisse sit satis, impiē simul, & indoctē agere ha-
rericos, qui vetent horum significationem quemquam
inuestigare, ac nominatim taxent Hesychium: cū
sit religiosissimum ex Philone, Dionysio, Clemente,
& alijs vetustissimis, quid sibi hac voluerint symbo-
la, perquirere; præsertim cū Paulus tantum non
hortetur, idē facturum, si instituta poposcisset dispu-
tatio.

Syr.

Vulg.

Quæ sic parata fue-
runt. Et in habitacu-
lum exterius omni tē-
pore intrabant sacer-
dotes ministeriū suū
perficientes: in habi-
taculū autē interius
illo semel in anno
solus intrabat sacerdo
tū princeps cū cruo-
re, quem offerebat
pro se, & delictis po-
puli.

His verò ita cō-
positis, in priorē qui-
dē tabernaculo
semper introibant
sacerdotes sacrifi-
ciorum officia con-
summantes: in se-
cundo autem semel
in anno solus pon-
tifex, non sine san-
guine, quem offer-
ret pro sua, et populi
ignorantia.

Et in

ET in habitaculum exterius. In medio loco, qui vocatur, sue templum vocatur, & noster dudum domum sanctam appellavit, sacerdotes totam ferè agebant vitam sacris operantes. Quod autem ministerium dicimus, Græci δαίμονας nuncupant; & de sacrificijs, ac oblationibus intelligunt.

August. in
topograp.
tabernacu-
li ad ult. c.
Exod. indi-
cat principi
sacerdotū
sæpius in-
gredi licu-
isse, sed se-
mel dunta-
xat cū san-
guine.

In habitaculum autem interius. Hūc tendebat Paulus, nimirum, in tertium locum. Eū autem diligentissime pertractat in Caio Philo Alabarches. At enim tanta cultum veneratione; ut nemo laicus capitis periculo adire posset, nè ipse quidem princeps, nec ullus, præter summum pontificem sacerdos, idq; non bis, tæruè, sed tantum semel in anno, mensis septimi die decimo, qui pœnitentia dicebatur. Ac neque unà die ter ingredi fas illi fuit, quod favore prima fronte videtur eorum sententia, qui bis ingressum a-iunt, ita Exod. c. 30. & Levit. 16. interpretates: fuerit tamē probabilior de uno, & eodem introitu explicatio. Et ista quidem nullam habent difficultatem, si nos heretici permitterent esse quietos, nec ignoratā obijcerent historiam. Nā veterum theologorum plurimi narrant Iacobum iustum, fratrem domini, hoc habuisse prerogativa, ut semel quotannis ingrederetur in sanctum sanctorum: quem tamē summus sacerdotem nequaquam fuisse constat. Hoc igitur rident heretici, quasi cōtrarias scripturis traditiones habeamus. Quid ergo? Num tam sanctos, & doctos Ecclesie proceres, & fidei columnas rejiciemus? In primis notandum Egesippum huius esse authorem sententia, ex cuius quinto commentariorum libro alij deinde mutuati sunt. In huius autem verbis apud Eusebiū dicitur Iacobo Iusto permissum intrare τὸ ἅγιον, & ea

& ea mox exponens, Et hic, inquit, solus intrauit Idu
 vady. At Matt. 21. & Luc. 1. & Act. 23. notum est
 vady pro parte templi media usurpari, siue taberna-
 culo, ubi sacerdotes operabatur sacris. Ex quibus nec
 Egesippum aliud, quam Iacobum intrasse ipsa, que,
 sine additamento sanctorum, sancta vocabantur, di-
 cere; nec hareticos, quod merito exagitet, habere ma-
 nifestum efficitur. Nā cum Samuelem Ephraimæ
 factum esse sacerdotem, & quidem summum, in loco
 Heli scriptura referat, ob primogenitura sanctifica-
 tionem: mirum certè nō est, Iacobum ex materno ge-
 nere sacerdotē (patruus enim maternus Zacharias
 fuit) & Naziraum, sacerdotibus admixtū inferio-
 ribus, sese pro eius ordinis dignitate gessisse, & mediū
 locum adyisse. Venit præterea in mentem, hunc an-
 nuum introitū Jacobi interpretari, pro ea, quā Da-
 uid instituerat, familiarum distinctione. Esset ista
 conciliandi admodum expedita ratio: sed iidem pa-
 tres volunt sanctissimum illud adytum trās velum
 adiuisse, & quidem solum; quod non cuiuslibet, sed
 summi sacerdotis erat. Quid hic dicimus? Equidem
 quod soli hoc deferunt, est ad eius fratres Iosen, Ju-
 dam, & Simeonem referendum, nec primogenitos, nec
 Nazireos: vel dicito Christianos alios, & reliquos
 Apostolos excludi, quibus nequaquam id tutū li-
 cuisset. Quod autem additur semel in anno, cum
 videamus ex eo, quod Paulo dederat, consilio Iacobū
 à sacris Iudaicis non abhoruisse rātisper, donēc pla-
 nē sepultura traderetur mater synagoga, sic intelli-
 gendum videtur, quod reliquo tempore sacrificijs va-
 caret christianis: quia tamen Iudeis gratum sentie-
 bat, ut suum ius Iudaicum obtineret, semel hoc illis
 tribue-

Desierat du-
dū, qui in-
trarent ss.
Pont. apud
Iudæos le-
gitima suc-
cessio.

tribuebat, & locum illum intrabat. Sed magis præ-
mit dictio sancti sanctorum. Quid si respondeatur
eius tempestatis sacerdotes non magnopere hac de re
laborasse; vel id muneris in alterius humeros deposi-
sisse, & potissimum notissima sanctitatis homini de-
mandasse? Quid si Caiapham, Ananum, & huius-
modi rebus alijs, honoribus, iurisdictionibus, splendo-
ri, pomposis titulis occupatos: quid si periculosissimū
eum semper ingressum, in quo si quid vel minimum
pretermissum foret, certum exitium, & huiusmodi
alia quis adferat; & Iacobum partim sua sanctimo-
niā, partim legis abrogatā conscientia fretum, id non
refugisse delatum? num penitus absurda dicere iudi-
cabitur? Certe quod aduersarij urgent, Iacobum sa-
cinus admissurū, nihil est: cum lex nullius tunc mo-
menti fuerit. Verū tametsi non facile, quæ dicta
sunt, respuenda videantur: arbitror ego reliquos
patres Egessippum ex memoria retulisse, & vti sit in-
terdum, credidisse eum agere de sancto sanctorum,
cū tantum de media parte loquatur. Durum qui-
dem istud, & à nostra consuetudine penitus alienū,
qui Patrum auctoritatem religiose veneramur: res
tamen dissimulari non potuit, ut studiosi sacra theo-
logie trapezitarum instar expendant, & cū para-
gogis conferāt traditionum, & antiquitatis monetā.
Quia autem versamur in ista questione, possumus
haud dissimili opera simil. in aliuere scrupulum, oc-
currentem in veterum commentarijs ad primum ca-
put D. Luca. Diuus enim Ambrosius, & eum secu-
tus Beda, non dubitant Zachariam adserere sum-
mum fuisse sacerdotem, vel saltem eius munere fun-
ctum: quod si res ita se haberet, multum ad præce-
dentem



dentem valeret disputationem. Tum enim mirum videri non posset, Iacobum adijisse sanctū sanctorum, cuius patruus summus sacerdos fuisset, utpotē natū Salome filia Haggaï, qui pater Zacharia fuit. Sed Patres illi modesta gere videtur excusatione, neque satis presenti in memoria habuisse, quid in Exodi, et Leuitici locis superius indicatis mandaretur. Nam in Luca suffusus, qui manē, & vespere fiebat, intelligitur; & omnibus cuiuslibet sortis, & familia sacerdotibus communis erat. Ne hūc adferam Nicephorū ex vniuersis Flauij Iosephi monumentis diligentissimi me Iudaorum pontifices omnes percēsentem, nullius imminisse Zacharia, præsertim cū circa Herodis tēpora Ananus cum filijs summo incubarit sacerdotio.

Cum cruore. Græci istud ita accipiunt, ac si Apostolus velit indicatam legem etiam habuisse quoddam sacrificium, ac thysia ignis, & lignorum experiem: vtrūquidem appareat in communiter accepto sacrificio ista requiri; sed tamē illud nobilissimū fuisse, quod illis duobus caruerit. Hoc igitur tantum de cruore, Aaronem introiturū decimo die septimi mensis, primū ingulasse victimam in altari æneo, incēdisse, & hausisse de carnibus; accepisse nihilominus de sanguine in phiala, & versus propitiatorium digito respersisse.

Quem offerebat pro sese, & delictis populi. Græci, & Latinus interpres pro ignorantia, & tantūde vox syra, pro stultitijs: vt intelligantur peccata, quæ non sunt industria, & proposito. Non est tamen dissimulandum maiores nostros, occasione huius vocis, inbere nos diligenter attendere, quā debeat subducta semper esse ratio: cum non solum
scientes,

Epistola

scientes, prudētēsq; peccemus, sed multa quoque patremus ignorantes.

Syr.

Vulg.

In hoc autem docet Spiritus sanctus nōcūm reuelatā fuisse sanctorum viam, quoadusq; staret primum habitaculum. Et fuit parabola hęc temporis eius, quo offeruntur oblationes, & sacrificia, quę non possunt perficere conscientiam eius, qui ea offert; sed in cibo, & potu solummodo, & baptismo diuersarum formarū, quę erant mandata carnis, imposita vsq; in tempus correctionis.

Hoc significante Spiritu sancto, nōcūm propalatā esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Quę parabola est temporis instantis iuxta quā munera, & hostia offeruntur, quę nō possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem; solummodo in cibis, et in potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis, vsque ad tēpus correctionis impositis.

Collaturus sacrificia legalia cum sacramentis, & sacrificijs christianis Paulus, probat veterum triplicem defectum, nimirum, quod tantū ad tempus seruerint; quod carnis duntaxat emendationi fuerint apta; deinde quod nō diebus quidem singulis oblata, & repetita, iustum quemquam reddere potuerint.

potuerint. In initio autem anagogicè ea, quæ hætenus ex lege repetit, interpretatur; veluti per glaciè defectâ similia nos in rebus veteris testamenti retare docet.

In hoc autem docet. Quod sacerdos summus quorannis intraret semel in sanctum sanctorum, & quod reliqui totos dies versarentur in media parte templi. In ijs enim, quod mox est secutum, adumbrabat Spiritus sanctus: ut non Moysi, sed Spiritui sancto, iuxta interpretes, hæc legis umbras feramus acceptas. Quid docet?

Necdum reuelatam fuisse sanctorum viâ. Notant interpretes sancta hic dici, quæ modò sancta sanctorum vocata fuerunt; ut nō immeritò, quod ab Egesippo dictum erat de Iacobo, raptum fuerit ad sanctum sanctorum. Nondum igitur patebat via, non in Mosaicum, sed in significatum sancti sanctorum, in cælum, quia homines via ignari; duxq; Christus adhuc expectabatur.

Quoad usque stare primum habitaculū. Quādiu sacerdotes legales occuparentur in quotidianis victimis, & nihilominus post toties repetita sacra, necesse esset semel in anno summum sacerdotē adire sacerrimam templi partem; ut imperfectis illis, ad nauseam usque repetitis, hostijs annuum nihilo perfectiorem imponeret colophonē: quādiu (inquā) hæc fiebant, satis declarabatur homines viam ad cælum ignorare; & qui eos deduceret summum quempiam alterius generis sacerdotem desiderari. Nulla enim lex, nulla philosophia, nulla natura vires valebant hominem liberare, quin extorris a cælo, descenderet in infernum.

Et fuit parabola hæc temporis eius. Tollitur gra-

T

tur gra-

tur græci articuli ἡ ἀμβιγυία, qui vel οὐκ ἔστιν, vel παρὰ βόλην referre quibusdam visus est. Illa itaque præcepta, cōsuetudines, ritus, quicquid fiebat in veteri lege (ea enim omnia tabernaculi voce superius complexus est) fuit parabola temporis totius a condita lege vsque ad eius abrogationem. Ut enim sacrificia; ita lex tota perfectionem à Christo præstolabatur. Rursum autem hic diluitur varietas, quæ ex græca oritur lectione. Quidam enim legunt καὶ ὅς; Oecumenius autem καὶ ἡ, secundum quam, nimirum parabolam; ut noster quoque legisse videtur interpretes. Quid Syrus?

Quo offeruntur oblationes, & sacrificia, quæ non possunt, &c. Diximus, quæ sit hac perfectio, iustificatio, peccatorum condonatio, quæ sit per christiana sacramenta. Est enim λεῖψος αὐτοῦ verbum, quod sacramentorum efficacitati adsignant interpretes. Illa autem vetera nihil tale præstiterunt: ac nè ipsum quidem offerentem presenti donare iustitia valuerunt; nè dum peccata totius delere populi. Nā si verissimum est, quod Areopagita dicit, sacerdotes instar esse debere crystalli pellucidi, in quod incidentes radij solis, in cætera, quæ vicina sunt, refunduntur: debuissent prius ipsi se innuare sacerdotes, deinde populo quoque prodesse. Et ista quidem est veterum interpretatio, solum sacerdotem offerentem intelligentium: possent tamen haud absurdè populus, ac sacerdos una coniungi; cū sit una duorum actio, & operanti sacerdoti plebs cooperetur, ut *Leuitici capitulis 5. 6. 7. & 1. Reg. capit. 2.* Nihilne igitur contulerunt?

Sed in cibo, & potu solummodo, & baptis-
mate,

mate, &c. Scimus enim, quàm operose fuerit præscriptum, quibus vel utendum, vel abstinendum. Quod autem ad potum pertinet, quibusdam placet exaggerationis gratia positum, ob incundā græcarum vocum paronomasiam ἐσθίµασι, καὶ πίνµασι; alij volunt Apostolum respexisse ad ea, quæ in potu sacerdotibus interdiciuntur, vel Naziræis. Fortassis nō ineptè spectasse diceretur Judæorum superstitionem, qui in pro-sabbathis coquebant cibos, ne sabbathis ignem struere oporteret; ideoq; ne calidè quidam bibebant ut scribunt Ignatius, & Iustinus. De baptismo multa quoque fuerant mandata; ut nusquàm non gravi sarcina premerentur.

Leuit. 10.
Numer. 16.

Quæ erant mandata carnis. Cum enim ablueretur caro, intèrea manebat obruta peccatis anima; nisi fides in mediatorem opitulata fuisset; & propterea tantum

Iustinus in
Tryph.
Leuit. 11.
Numer. 19

Imposita usque in tempus correctionis. Donèc veniret, qui restitueret omnia. Erant autem onera necessaria Iudaica leuitati, ne ad idola deslueret: undè imposita dicuntur. Ubi meminisse decet illius Actorum: Quid tentatis imponere, &c. Mandata, siue diximus, idola non rectè à plerisque de ipsa iustitia, cum sint de esculentis, & similibus mandata, accipiuntur. Absolutis tribus, de Mosàica legis, rituum, & sacramentorum imbecillitate; nunc ad nouæ legis energiam, & præstantiam Paulus accingitur.

Surrectione tertia noctis pridie crucifixionis.

X 2

Syr.

Syr.

Vulg.

Christus autē ac-
cedēs, fuit sacerdotū
princeps bonorum,
quæ fecit; & intrauit
habitaculū magnū,
& perfectū, quod fa-
ctū non est manibus:
& nō intrauit cū san-
guine hircorū, & vi-
tolorū, sed cū sangui-
ne suo proprio intra-
uit vno tempore in
domum sanctuarii, &
inuenit redēptionē
æternam. Si namque
cruor hircorū, & vi-
tolorū, & cinis vitule
asperfus super eos,
qui inquinati erant,
sanctificauit eos, quō
ad emundationem,
quæ est in carne ipso-
rum: quāto magis
igitur sanguis Chri-
sti, qui per spiritū æ-
ternitatis sese obculit
imma-

*Christus an-
tem assistens pon-
tifex futurorū bo-
norum, per amplius
& perfectius taber-
naculum, non manu
factum, id est, non
huius creationis, ne-
que per sanguinem
hircorum, aut vitu-
lorum, sed per pro-
prium sanguinē in-
troiuit semel in san-
cta, æterna redem-
ptione inuenta. Si
enim sanguis hirco-
rum, & taurorum,
& cinis vitula as-
persus inquinatos
sanctificat ad emū-
dationem carnis:
quāto magis san-
guis Christi, qui per
spiritum sanctum
semetipsum obtulit
immaculatum Deo,
emun-*

immaculatum Deo, emundabit consciē-
emundabit consciē- tiam nostram ab o-
tiam ab operibus peribus mortuis, ad
mortuis, vt seruiat seruiendum Deo
Deo viuenti? viuenti.

CHristus autem accedens. Græci hoc elegā-
tius efferunt, ἐπιτελεῖν. Atque hoc loco de-
bemus eorū commentarijs esse contenti; nempe, Chri-
stum non hominum ceterorum more literis insudan-
do, sese alijs approbando, conscientiam emundando,
factum esse sacerdotem: sed eius incarnationem fuisse
eius sacerdotij inaugurationem. A primo concep-
tionis igitur momento adstans, seu superueniens.

Fuit sacerdotum princeps bonorum, quæ
fecit. Videtur laborare Paulus, & rē pro sua digni-
tate satis exprimere nō posse. Ipse est administrator,
& promus condus omnium bonorum, quæ nimirum,
nec oculus vidit, nec &c. quæ in presenti, &
futura vita ad bonū, beatūq; viuendum conferunt.
Vt autem in temptationibus non deiceremur, nec in
terrīs felicitatē captaremus; græcus, & lat. interpres
addidit, futurorum: quia tamen si promiserit centu-
plum, nō tamen id cunctis expedit; ac prōinde multi
Lazarī in erumnis degunt vitam. Verū quoniam
alijs quoque sacerdotes possunt esse duces, & auspices
ad aliena bona; non est otiose dictum à Paulo, Quæ
fecit: quia non est alieni beneficij largitor, & admi-
nister; sed idem author eorū bonorum, quæ plena
manu in suos effudit. Hoc igitur esto primum dis-
crimen.

Epistola

Et intrauit habitaculum magnum, & perfectum. Iudaicus pontifex prius habitaculum introibat; ibiq; mactati hirci sanguinem deferbat in sanctum sanctorum: sed ille vterque locus fuit humana structura, neque magnificentissima. Synecdochicòs dicitur *oxlwn*, seu velum, vt superius dictum est. Magnum Interpretes de Christi interpretatur corpore: vt non oporteat syram vocem rabbo spatio, sed pretio, & dignitate aestimare. Istud ergo non fuit manibus factum; sed spiritus artificio: nec hominū quisquam ad illud contulit: sed ex beatissima virgine desumptum, & quod reliquum est Spiritus sanctus, immò tota Trinitas est operata. Sit hac altera differentia, quòd summus sacerdos in humana arte, & operis artificum exstructum tabernaculum, non maximum; Christus in templum nequaquàm manus factum, quoque nihil augustius, intrauit. Vbi laborāt Patres contra Nestorium, qui nugabatur Christū in vtero virginis, & in proprio corpore, velut hospitem in domo, conuersatum. Sequitur tertia.

Et non intrauit cum sanguine hircorum, & vitulorum. Sed cum sanguine suo. Ad verbum, Cū sanguine animæ suæ, habet igitur Christianus, quo gloriatur, tanto dignatus honore, vt pro ipso noui sacerdotis funderetur sanguis.

Intrauit vno tempore in domo sanctuarij. Est quarta differentia. Antiquus ille sacerdos semel quotannis hanc repetebat ceremoniam: Christus semel in vita per prius tabernaculum transiit ad sanctum sanctorum, quod hic vocatur domus sanctuarij. At præstitisset hic remansisse nobiscum. Immo viam præstruere debuit: & ideo subiungitur.

Et in-

Et inuenit redemptionem seculi. *Quidam* recentiores *ἐπεὶ* *με* *vos* *vertunt*, *Adeptus* *est*, *reperit*; nec omnino male: tamen post Chrysostomū, Theophylactum, & alios, vocem probe intelligentes exponunt, Inuenit, prater spē eorum, quos redemit. Eramus enim sine spe vita aeterna: sed pontifex noster nobis eam acquisiuit, non quolibet labore suo, sed effusione sanguinis sui. Hæc igitur inuentio Christi laborem significat: quod autem ad nos attinet, prater omnem spem, & adeo prater omne meritum. Inuenit redemptionem seculi, seu aeternam: quia redemit eos, qui iam indè ab Adamo lapsi fuerant, & qui postea peccarunt unquam, denique sufficit pretium pro innumeris, qui nunquam ad salutem sunt peruenturi. Horum probationem subdit.

Si namque cruor hircorum, &c. *Argumentatur* hoc loco Paulus ex fide, & opinione Hebræorum. Vos, Iudæi, fortassis admirabimini Christum vnica opera tantum valuisse: videte, quid credatis; vitulorum cruorem sanctificare, & emundare, quod ad carnem attinet. Persuasum quoque habuistis commixtos aqua cineres eodem valere. Numerorū 19. vacca bustū paratur, sacerdos ipse, et qui præerat incendio, inuentur pro immundis haberi, & vestes abluere. *Quæ hæc sunt paradoxa?* Possuntne ista iuuare, quæ commaculant? Deinde precipitur homini mundo colligere cineres: & mox vestimenta lauare cogitur. Contingebat expiatorios pulueres, & inquinabatur. Dictum mirum: vos tamen eo, Iudæi, credidistis vos purgari. *Quin istud creditis potius, quod subditur.*

Quantò magis sanguis Christi, &c. hominis

R 4

simul,

simul, & Dei? Fortassis mirabitur aliquis Apostoli toties legalia ad carnis emundationem restringere. Dixi non semel, et si vi sua non profuerint ad mentis expiationem; non tamen vel otiosa fuisse, vel solius carnis emundationi seruiuisse. Quamuis & hac sit in cultu Dei necessaria. Nam maiores nostri, cum facerantur Deum potiore animarum ducere munditiam, non leue tamen ducere piaculum, si quis sordidis utatur in mysterijs. Deinde cum olim extra castra secedere cogerentur immundi, siebat ut res diuinas maiori haberent in pretio. Nè dicam vniuersa refertissima fuisse mysterijs, propter antitypa; neque physicis rationibus caruisse, neque sua qualicumque efficacia. Huius autem sacri cineris occasione, nostri aduersary clamant aquam sale conuersam in signem esse catholicorum blasphemiam. Si quis autem Gratianum adeat (cum enim potissimum vexant) videbit fragmentum epistolæ primæ Alexandri primi ad omnes orthodoxos, seu (ut olim Burchardus inscripsit) ad Egyptios. Sic autem ferme argumentatur Alexander. Si cinis vitula potuit carnem emundare: quanto magis aqua sale aspersa, diuiniq; precibus sacrata? &c. Quid in his clamore dignum, si quid voluerit Alexander, & quid catholici doceant, expendatur? Non enim sanctissimus martyr veteris testamenti ritus damnat: sed tātundem, aut plus adferit valere diuinis consecrata precibus elementa. Sed quorsum hic demum hostibus istud venit in mentem conuellere; qui idem docent ad quartum prioris ad Timotheum, ubi Dei verbo dicit Apostolus bonas Dei creaturas sanctificari? Nec ipse Calvinus potuit veritatem inficiari, cum agens de initiatione fatetur
res hu-

Aristeas li.
de septuag.
Interpre.
Thomas
prima 2. q.
102. Philo.
Ad Num.
19. & Gra-
tian. de cō-
secrat. cap.
Aquam sa-
le. disti. 3.

res huiusmodi reddi veluti quedam amuleta contra demonum prestigias. Sed aliàs egimus ea de re copiosius.

Qui per spiritum æternitatis. Notant ferè omnes interpretes istud opponi incendio holocaustum. Christus non egebat lignis, sed rogus fuit illi Spiritus. Quod ait Christum se Deo patri obtulisse; non ob superbiam, aut metum, sed dictante Spiritu sancto gestum est. Et si enim fateamur non defuisse Trinitatis adorandæ totius operationem: attamen maiores nostri volunt exhibitum nobis à Paulo patrem mortalibus infensum; miseros, ac perditos procul exanimatos metu; Filium mediatorem. Refugiebamus iratum patrem, Christus intercedebat, ne interitus decretum statueretur; Spiritus sanctus autem eum veluti hortabatur, & impellebat, si ad hunc modum de rebus occultissimis, & sanctissimis balbutire non sit religiosum. Pœnam igitur, quam reposebat pater, filius flamma spiritus impulsus exanthlauit, & sese obtulit.

Immaculatū. Quid enim aliud esset, qui Deus erat, in cuius ore dolus non fuit, qui à Spiritu sancto cōceptus fuerat? Sed ut antithesis seruaretur, dicit oblationem fuisse undequaq; immaculatam, & sanctam. Nam & vacca nullā debebat habere maculam. Et quidem

Deo, nimirum patri. An non fuisset non exigere clementius? Haud sanè. Referebat enim nostra plurimum, peccati gravitatem agnoscere; neque decebat per effusorem indulgentiam (tāmet si fuerit etiā tam effusissima) iustitiæ Dei fieri vim.

Emundabit conscientia ob operibus mortuis.

tuis. Veteres illi solam vt cūq; carnem emundabā: Christus conscientiam, id est, ipsam animam; vt ibi de cetero non sit reatus, non hereant culpa, sed erua proijciantur in cor maris. Quomodo? An per animi solam informationem? Minime: sed per sacramenta. Si enim non adaptetur nobis Christi sanguis; nō proderit. Hinc igitur in primis discimus christianorum sacramentorum necessitatem; deinde remitti per Christi virtutem peccata, ipsa sūq; fibras animorū, quæ per conscientie vocabulum indicātur, expurgari. De operibus mortuis capite sexto aliquid audiui-
mus. Ita vocantur peccata: non solū quia ipsa sunt mortua, id est, quia nihil prosunt ad vitam; sed etiā quod à morte profisciscantur, & mortem generent.

Vt seruiat Deo viuenti. nempe, in conscientia sic emundata. Scopus igitur Christiani hominis est, vt postquam Christi redemptionis euasit compos; deinceps non idolis, nō carni, nō concupiscentiæ, sed Deo seruiat; & quicquid molitur, ad liberatoris Dei sui honorē referat, & expiata filij Dei sanguine mentē, illius vnus mancipet obsequijs. Et ista sufficere poterant: sed quoniam agebat Apostolus cum ijs, quibus mors ipsa seruatoris erat offendiculo: deinceps eiusdem necessitatem, ac summam utilitatem est probaturus.

Syr.

Vulg.

Propterea ipse factus est mediator testamenti noui: vt morte sua cōtingeret redemptio iis, qui transgressi

Et ideo noui testamenti mediator est: vt morte intercedente in redemptionem earum prænari-

gressi erant testamē-
tum primum; ut acci-
perent promissum; qui
vocati fuerunt ad
hæreditatem æter-
nam.

naricationum, quæ
erant sub priori te-
stamēto, repromis-
sionem accipiāt, qui
vocati sunt, æternæ
hæreditatis.

Propterea. Nimirum, ut in sanguine suo spera-
tam humano generi compararet liberationem.
Ipse factus est. Non angelum, aut aliam crea-
turam substituit: sed obtulit sese.

Mediator. Sunt, qui ab hac voce, ut parum la-
tina, abhorrent; reconciliatorem dicentes, aut quip-
piam simile: sed interim neque syra, neque græcæ vo-
cis proprietatem appendunt. Nam potes quempiam
alicui conciliare: ut nō stes ipse à partibus rei; neque
in tuum caput derives eius crimina. Gracum μεσιτης
mirè exprimit, quod erat mentis apostolicæ. Syrum
autem vocabulum μετσαίο perinde est, ac si dicas
dimidiatum factum. Christus dominus ita tuitus est
patris iustitiam, mortem geminā ob transgressionem
ab Adamo exigentis; ut non nimium urgeret partes
seueritatis: sed vicissim egit fortissimè causam suorum
clentum; seq̃, verè medium constituit inter periculū
nostrum, & patris offensam iustitiam, hæc adseren-
do, illud eleuando; quod patris erat seruans, & quod
generi humano necessarium, præstans.

מציע

Testamenti noui. Prius non erat verum, sed
veri symbolum testamenti, quod habet verum propi-
tiationem, & propitiationem, summum, nempe, pon-
tificem profundentem sanguinem suum, quo omnia
in oblivionem abirent crimina. Intelligit autē pactū,
accom-

accommodarent. Vides, Christiane, quale sis nactus beneficium? quod non habeat speciem, sed rem; quod non sit in voto, sed in usu. Verum quomodo ictum illud fuit.

Vt morte sua contingeret redemptio. Non ignorabat aliter fieri non posse, nisi moreretur. Fili mi (aiebat pater) si me his parcere velis, qui tam graviter peccarunt: quia legem latam rescindere nolo; opus est morte, & sanguine. Paulus autem usus voce composita ἀπολύσις, indicat nobis redimendis non mediocri pretium fuisse satis: sed filium summo iure ad teruncium vsque cuncta perfoluisse; ut omnis abesset de cetero metus, & nudo (quod aiunt) capite animos, spesq; nostras erigeremus in Deum. Et quibus id procuratum?

Iis, qui transgressi erant testamentum primum. Quid miraris, Iudæa, quid morte Christi turbaris? Condonavit peccata etiam is, qui legem, & pactum prius violarant. Lex enim tam erat infirma, ut in se commissa donare non posset: novum autem & suos expiat testamentum, & veteris legis cultores; quæ in carne occupata, ad conscientie emundationem suis tam multis expiationibus pervenire nō poterat, ostendens venturum, qui id faceret. Veteres ergo peccatorum, & naturæ debitorum non aliunde, quam Christiani, recipiebant condonationem. Quorsum?

Vt acciperent promissum. Antè erat pactum in spe, quàm in re. Sedebant in limbo patrum, in carceribus inferni: per Christum autem erant accepturi hereditatem æternam. Qui? Non omnes, sed per-

Ad verb. sc. pauci.
cularem,

Qui vocati fuerunt ad hereditatem æternam.

nam. Qui eligenti, prædestinanti, vocanti Deo se accommodassent; quorum mens (ut ita loquar) è meliore luto formata fuisset, qui Dei mandata seruassent, & in eum sperassent: quorum nunquam non rara copia. Habemus, quod nos usque, et vsq; inflammare debet studio vicissim placendi per omnia Christo.

Crepusculo feriæ quintæ secretorum.

Sic dictus est ille dies, quod Christus horrenda tunc mysteria, & ipsum sacerdotium instituit, arzo enim Syris propriè dictum sacramentum, uti de suis septem angustissimis Christiani loquuntur, significat. Notandum istud igitur, propter hereticorum profanationem, qui arcana omnia, quæ horrent ipsi quoque cælestes angeli, deducunt in omnium notitiam, etiã infidelium.

Syr.

Vulg.

Vbi namque testamentum existit, Vbi enim testamentum est, mors morseius nuntiatur, necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: quodd, quandiu is viuit, qui ipsum fecit, alioquin nondum valet, dum viuit, qui nemo illo compelli testatus est. valet.

Vbi namque testamentum. Qui huic epistole sunt iniquiores, aiunt Paulum abuti graece vocis ambiguitate: quod in syro, & hebræo vocabulo cum fieri non possit; reliquum est, ut è Paulinis litteris

Adverb. nō
est necessi-
tatis.

Epistola

litteris hanc expungamus. Quôcirca demonstrandum est neque Paulum rhetorum more ludere; neque huic officere scriptura, quicquid illis visum est comminisci. Principio igitur, quod negant berith pro ultima voluntatis indicio unquam accipi, probare non possum: cum & rem fœdere firmatam, ipsumq; fœdus, & pacti quoque symbolum denotet. Cuius rei caput geneleos nonum luculentum præbet testimonium, ubi Deus pollicitus Noacho nunquam futurum, ut mundus pereat diluvio, dicit se demonstraturum iridem, tanquam fœderis indicium; & vocat berith, quo tanquam scriptura Dei nobis voluntas designatur; ut non procul abludatur à morientium voluntate chartis illita. Deinde ex sententia doctissimorum ea vox à bere ducit originem, quod succidere, amputare, & metaphoricòs etia mori significat. Verum istis impræsentiarum ut supersedeamus; dicendum est Paulum scripsisse lingua Christi etate perulgata Syrorum, quæ græcæ, & hebræas voces plurimas in suam recepit civitatem, adeoq; hoc loco eandem, quam habet Lucas, vocem usurpasse: quæ res exsufflat aduersariorum nugamentum. Si autem & illud refellere oporteat, quod adserunt Paulum ex ambiguitate sophisticum argumentum neetere, quasi patet nullum sit ratum futurum, nisi mors cuiusquæ accedat, quia testamētum morientium, quādiu supersēdites sunt, vim non obtinet: dicendum est cum hac in disputatione non respicere propriè, vel maxime ad ultimæ voluntatis testationem, sed uniuersim ad omnem διαθήκην. Nam siue agas de testamento, ut ad mortuos pertineat, siue de fœdere, quod ætū est inter Deum, & nos: ubique requiritur mors. Nam sic fuit

ברית

ברית

ברא

διαθήκη,
דיתקא
deiattiki.

διαθήκη
testamentum
æternum

etiam

sic fuit à nobis lex violata: ut fœdus inter Deum iri-
 ratum peccato, & reum Adamum, sine morte eius,
 qui conciliaret illud, iniri nulla ratione posset. Tu,
 Christe, vis mediatorem inter Deum, & genus hu-
 manum agere? vis eum reddere propitium, iustissi-
 mè iratum tuis clientibus? Morte opus est, & quidē
 tua: sanguine aperiendum est iter in cœlum. Paulus
 igitur hæret in disputatione de fœdere propitiatorio
 inter Deum, & homines. Vis de pacto intelligere?
 Nemo poterat tam perditos redimere, nisi mori vel-
 let; non poterat siue pactum, siue testamentum fieri
 inter Deum iratum, & reos homines, nisi illius mor-
 te, qui conderet illud. Hoc qui intellexerit, non (arbi-
 tror) leue indicabit argumentum Pauli. Si enim te-
 stamentum nullum est ratum, sine morte: quid mirū,
 non antè percussum hoc in negotio fœdus, quàm mo-
 reretur is, vel qui debebat, vel qui causam in se no-
 stram receperat? Sed videte, quàm sit ingeniosa ne-
 quitia. Cum enim, quæ dicta sunt, inscisciari non pos-
 sint: ex ijs, quæ sequuntur, probare nituntur Paulum
 agere de mortuorum voluntate, quod de aditione lo-
 quatur hereditatis, similem locū expromentes è Ga-
 lat. cap. 3. Equidem quòd ad me attinet, non inuitus
 id totum illis concessero. Agat Apostolus de mor-
 tuario testamento: ut lubet. Faciat mentionem ad-
 eundæ hereditatis; esto: ergo dum versatur inter has
 promissiones, agit re vera de vulgari testamento. Et
 hoc habeto. At mox de fœdere, & pacto sermonem
 inijcit, Neque illud primū fuit sine sanguine.
 Nec istud abnuo, si modo non subtrahas, quod addē-
 dū est, Omne pactū, quod vnuquàm fuit inter Deū,
 & genus humanum, vel eius partem aliquā, ita pacti
 rationem

Epistola

Genes. 20.
Galat. 3.
Exodi. 24.

Galat. 3.

rationem habuisse, ut simul illud alterum testamē-
tum genus complecteretur. Primum Deo cum ho-
minibus videtur pactū fuisse in illa promissione fa-
cta Noacho, ne repetito mundus absorberetur dilu-
vio. Ibi non absuit, ut dictum est, ultima voluntatis
significatio. Alterum percussit Deus cum Abraha-
mo, ut Paulus docet, Ambula corā me, & esto,
&c. An id mortuarium non fuit? Tertium istum
est cum Iudeis: cui successit postremum, de quo agi-
mus, nouū testamētū. Nec vnquam pactus est Deus
cum vllō vel homine, vel populo, quin simul ageret, si
vellent, de adeunda quandoque hereditate celesti.
Promissio autem hereditatis quid est aliud, quā
testamentum? Et in Abrahamo Paulus id apertē
docet, scribens Galatis, quod is patriarcha cum tota
posteritate futurus esset particeps felicitatis eter-
nae: in nouo autem tam id luculenter exprimitur, ut
in demonstrando labor foret inutilis. Liqueat igitur
hoc pactum, & inter Deum, ac genus hominum con-
ciliationem, & propitiationem, habere mortuarium
testamentum.

Mors eius nuntiatur. pēge dicitur. Nisi eius, qui te-
stamentum condidit, mors nuntiaretur, tantisper dum
vixit mutare, & abrogare potest.

Eò quod quandiu, &c. Habeas licet tabulas,
codicillos: nihil tamē iuuat, priusquam defungatur,
qui conscripsit. Et sic se res habet in testamento Dei.
Vnde liquet duplici nomine Christi mortem fuisse
necessariam. Hac autem omnia ad erigēdos Hebræos
pertinebant: ne erubescerent Christi mortem, sine qua
coelestem hereditatem adire non possent. His abso-
lutis, Apostolus rem in veteri testamento sic se ha-
buisse

buisse docebit; ut simile quippiam in noua quoque lege præstandum esse portenderet.

Syr.

Vulg.

Quapropter neq; primum confirmatū est absq; cruore. Cū enim præceptū esset omne mandatum à Mose toti populo in lege, accepit Moses cruorem vitulæ, & aquam cum lana coccinea, & hyssopū; & asperxit librum, & totum populum; dixitque eis: Ille est cruor testamenti, mandati à Deo. Item tabernaculum, & cuncta vasa ei⁹ ministratoria cruore asperxit: eò quòd in lege mundentur; & absque cruoris effusione nō fit remissio.

Vnde nec primū quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omnino mandato legis à Mo- se uniuerso populo, accipiens sanguinē vitulorum, & hircorum, cum aqua, et lana coccinea, & hyssopo; ipsum quoque librum, & omnem populū asperxit dicens: Hic sanguis testamēti, quod mandauit ad vos Deus. Etiam tabernaculū, & omnia vasa ministrerij sanguine similiter asperxit. Et omnia penè in sanguine secundum legem mandantur; & sine sanguinis effusione nō fit remissio.

Quapro-

Epistola

Q Vapropter neque primum, &c. Noster habet dedicatū: *Graci ἑρκεαλιδαι*, quod varie a varijs accipitur. Noster autem Syrus lucē inferens. Primum, inquit, testamentum robur non obtinuit, nisi cū sanguis accessit. Est enim idem, quod *Exod. 24.* *משחרר* superius habuimus: Super morte ratum fit: *meschettharro*. Sed ibi alienus, & quidem brutorum animalium sanguis. Non enim sola vitula, sed plures unā victima case sunt: qua in re tūm docebatur minūs valere vitulinum cruorem, & expectandum filij Dei sanguinem.

Cū enim præceptum esset, &c. Non tantum præceptum; sed & scriptum, & lectum.

In lege. *καλα νόμον*. Non erant ibi omnia Dei præcepta; sed ea dūtaxat, quæ secundum legē, aiunt quidam.

Cruorem vitulæ. *πόσχοι* habent Græci: noster, & Syrus singulariter. Sed est enallage numeri. Nam constat plures iugulatas pecudes.

Numer. 19. *Leuitic. 14* Et aquam cum lana coccinea. Quia hæc non habentur eodem loco, placet quibusdam Apostolum ad diuersa loca respicere: sed magis consentaneum est veterum theologorum intelligentiæ, Paulum istud habere vel per Spiritum sanctum, vel ex traditione. Hæc enim commemorat non de rerum ipsarum usu; sed de eo, quod factum est, dum lex confirmabatur. Ut palam sit aquam non esse eam, de qua in leproso- rum negotio, vel in cineritia, quæ quotannis fiebat, purgatione fit sermo. Miscuit autem Moyses aquā cruori, quod is concretus sparilis non sit. Hæc autem vniuersa maiores nostri passionis, mortis, & sanguinis, nostrig, ad eō baptismi typos fuisse aiunt.

Et hy-

Ethyſſopum. *Hac enim aſperſioni percommo-
da. Seruit autem myſterio, propter ſeruorẽ, qui ſan-
cti Spiritus ardentiſſimos eſtus, quibus igneſcunt pio-
rum mentes, denotat.*

Et aſperſit librum. *Hebraei interpretes hunc li-
brum geneſim intelligũt; qui utrũ ea ſcriptus fue-
rit atate, incertum eſt: & ſi quis diligenter capit. 24.
Exod. perpenderit, deprehendet de geneſi accipi non
poſſe.*

Totum populum. *Non pertingebat quidem
cruor ad omnes (Qui enim tantillo cruore tantus lu-
ſtraretur exercitus?) ſed cũ proximis attingeret,
vim ad omnes exerebat: ſicuti ſacerdotis chriſtiani à
paucis audita, & intellectũ benedictio prodeſt etiã
procul diſſitis.*

Iſte eſt cruor, &c. *Iſto cruore Deus inter ſe, ac
vos ſuum teſtamentum aſignat; ut illi in poſterum
ſitis obſtricti. Designabat autem cruor mortem teſta-
toris. Sicut hoc teſtamentum non dat iam in mani-
bus, ſed procul adhuc abſentem promittit heredita-
tem: ſic iſte cruor mortem Chriſti futuram oſtendit,
qua nouum confirmabitur teſtamentum.*

Item tabernaculum, &c. *Hac aſperſione cun-
cti initiabantur, & conſecrabantur Deo.*

Eò quòd vniuerſa cruore, &c. *καὶ οὗτοι ἔχουσιν
bent Graci. propemodũ, ferẽ; & reſtringunt nonnul-
li ad ſuperficiẽ tenus: credibilius tamen priores. Vni-
uerſa enim eo ritu ferẽ mundabantur: niſi quòd qua-
dam per preces, per aquam, & ſimilia purgabantur.*

Et abſque cruoris effuſione, &c. *Remitteba-
tur quidem & in lege peccata, propter Chriſtum, &
fundendi olim ſanguinis efficaciam: debuit nihilò-
minus*

minus adesse sanguis, propter mysterium.

Syr.

Vulg.

Est enim necesse, *Necesse est ergo*
 ut hæc, quæ similitu- *exemplaria quidem*
 do sunt cœlestiū, his *cœlestium his mun-*
 mundentur: ipsa au- *dari; ipsa autem cœ-*
 tē cœlestia, sacrificiis *lestia melioribus ho-*
 iis melioribus. Nō e- *stis, quàm istis.*
 nim manibus fuit fa- *Nō enim in manu-*
 cta domus sanctuarii, *facta sancta Iesus*
 quam intrauit Chri- *introiuit, exempla-*
 stus, quæ esset simili- *ria verorum; sed in*
 tudo veræ, sed cœlū; *ipsum cælum; ut*
 ut conspiciatur corā *appareat nunc vul-*
 vultu Dei pro nobis; *tui Dei pro nobis.*
 neque ut offerat sese *Neque ut sapē offe-*
 tēporibus multis; ut *rat semetipsum;*
 facit princeps sacer- *quemadmodum pō-*
 dotum; & intrat om- *tifex intrat in san-*
 ni anno dotum san- *ctā per singulos an-*
 ctuarii, cū cruore nō *nos in sanguine a-*
 suo. Alioqui debebat *lieno. Alioquin o-*
 tēporibus multis pa- *portebat eum fre-*
 tri ab initio mundi. *quenter pati ab ori-*
 Nūc autē in fine mū- *gine mundi. Nunc*
 diyno tēpore obtul- *autem semel in cō-*
 lit sese per sacrificiū *summatione secu-*
 suum, *lorum,*

suū vt aboleret peccata; ad destitu-
tū. Et quēadmodū tione peccati, per
statutum est filiis ho- hostiam suam ap-
minum, vt vno tēpo- paruit. Et quemad-
re moriantur; & post modū statutum
mortē eorū, iudi- est hominibus semel
cium: sic & Christus mori; post hoc au-
vno tempore oblatu- tem iudicium: sic
est, & in seipso sacrifi- & Christus semel
cavit peccatū multo oblatu- est, ad mul-
rum. Secūdo autem torum exhausti-
absque peccatis con- peccata; secundo si-
spicietur, in salutem ne peccato apparebit
eorum, qui respiciūt expectantibus se in
eum. salutem.

T Andēperaturus istam veteris, ac noui sa-
cerdotis collationē, Apostolus omnia commit-
tit; & confert in cumulū locū, tempus, energiam:
denique metū Iudæis incutit, nisi plena fide in Chri-
stum recumbant, venturi iudicis, tametsi dissimulā-
ter, nē nimium percelleret.

Est enim necesse, vt hæc, &c. Nemo miretur
omnia cruore sanctificata. Debit enim totum testa-
mentum vetus consummari, & emendari rationibus
consentaneis umbris. Lucas vocat pluraliter & & &
quædam, quæ noster interpret exemplaria conuenien-
ter expressit. Hic autem quidam vsque adeo temera-
ri inueniuntur, vt Paulo moueant litem, quasi ali-
quid Origenianū dicat. Notum est enim a scriptum

Origeni, quod putarit fore, ut aliquando cacodemones seruariantur, & quod in cœlestibus spiritibus crimina, ob quæ plectantur, non desint. Tale igitur aliquid hoc loco se audire putant, cum dicitur legalia, et cœlestia sibi consentaneis esse victimis expianda. Sed quis non execretur tantam blasphemiam hominum, Pauli mentem, quia non adsequantur, aliud detorquendum? Audiuimus omnia legalia iussâ à Deo fieri ad formam exhibitam in monte, & cœlestē prototypum: vnde apparet legalia cuncta, quantumvis obtutu speciosa, typos, umbrasq; fuisse; quibus seruales, & stupide Iudeorum mentes ad Dei cultum pertraheretur. Congruēbat igitur corporea, & typicâ dissimilibus ritibus initiari. Res autem christiane, & nostra sacramenta (hæc enim maiores nostri nomine cœlestium interpretantur) spectant ea, quæ animorū sunt, & in cœlo versantur; atque adeo sunt cœli ipsum, & cœlestium imagines. Has enim causas Patres adferunt huius appellationis: tamen est præterea quiddam in his cœlestibus intelligendum. Vt enim dictum est, nouum testamentum non terminatur hoc mundo: quia Christianorum sanctum sanctorum est ipsum cœlum, summus pōrifex, Christus; introitus in sanctum sanctorum est præsentia, & sessio eius ad dexteram patris. Vnde constat nostra esse connectenda cum ijs, quæ sunt in cœlo: & legalia figuram gerere cum nostrorum, quæ ex parte habent veritatem; tū eorum, quæ sunt in cœlo, dicēda sunt. Sic Dionysius in Eccle. Hier. dicit legem clariùs Ecclesiam, res autem cœlestes obscuriùs figurasse: nostrā autem hierarchiam delineare quoque cœlestem, sed in immensum euidentius; interim rem ipsam habere,

et in sacramentis obtinere gratiam.

Ipsa autem cœlestia sacrificijs ijs melioribus. *Querunt interpretes, quo pacto emundentur cœlestia, si cœlum ipsum denotent; et quæ sint ista potiora sacrificia. Primum autem agnoscunt omnes enallagen numeri in dictione sacrificiorum, quæ sunt passio, et sacrificium Christi. Cœlum autem nobis prius insensum conciliatur, pater iratus, angeli ob iniuriam conditoris hostes: crucis autem hostia cōuersa sunt omnia. Sic Chrysostomus cum suis, verissimè quidem; tam etsi hoc etiam Paulum voluisse videri queat. Typici sacerdotes cum suo introitu, tum suis asperсионibus exprimebant id, quod factum est per Christi in cœlum introitum. Dum enim aqua spargerent, baptismum nostrum, dum sanguinem, Christum nos eodem suo sanguine introducturum significabant: is autem ingressus benignos dedit angelos pacis; supernaq; et inferna reconciliavit.*

Non enim manibus fuit facta domus, &c. Jam destinata utriusque pontificatus incipit committere, et interpretari, quod octauo capite diximus,

Quæ esset similitudo veræ. Si enim Christi domus sanctuarij manibus efficta, tum ipsa quoque fuisset umbra præstantioris: at omnis rebus temporarijs, in ipsum velum ingressus est; in quo cōsistit, ut pontifex in suo sanctuario.

Ut conspiciatur coram vultu Dei. Pontifex ingressus in sanctum sanctorum, censebatur astare in conspectu Dei. Nam tametsi omnes, qui vel Moysis tabernaculum, vel templum Solomonis intrabant, censerentur venire sub conspectum Dei, cuius gloria totam domum non semel impleuerat: dum tamen

Z 4

pontifex

Epistola

pōrifer illud religiosissimū adytū ingrederetur, proprii numinis conspectū subire credebatur. Huius autem figure veritatem precipuē Christus impletis suo in cælum introitu.

Pro nobis. Vt enim sacerdos Mosaicus id agebat, Deum vt redderet populo propitium: ad eūdem modum & Christus. Quo pacto? Nouis precationibus, & additamento quopiam ad perpersionem? Minime gentium. Non orat, nisi merito, & sufficientissima satisfactione; qua peditus, interpellat pro nobis, dum singulis momentis vel donat peccata, vel erogat gratiam.

Ad verb. a-
mimā suā.

Neque vt offerat sese temporibus multis. Occurrit tacite quæstioni. Ne quis noua in cælo sacrificia cogitet: vno sacrificio vniuersa sunt expleta. Et hic rursum deprimat sacrificiū legis veteris, quod repetebatur singulis annis.

Alioqui debebat temporibus multis pati, &c. Nonne huic loco repugnat, quod ait Ioannes, agnum immolatum ab initio mundi? Minime: quia Patres remissionem peccatorum non aliunde, quam à Christi perpersione acceperunt. Nostri autem serpentes admodum callidi, conantur hinc efficere, nullum catholicis reliquum esse sacrificium: quia mori, pati, sacrificare, offerre, Paulo idem sunt. Nam inquit semel passus est, ac se obtulit; seq. proinde sacrificauit Christus: neque denuò immolatur, moritur, aut offertur. Hæc illi proluxissimè; nibilo rectius colligentes, quam si dicam: Christus iussit apostolos euangelium annuntiare omni creature, id est, omnibus hominibus: ergo præter homines, nulla est creatura. Quocirca tametsi Christi perpersione crucenta fuerit: non

rit: non

rit: non est propterea consequens, nullum superesse sacrificium. Immo si secundum hunc locum res discernatur; ipsa passio, & crux non est futura sacrificium verum, scilicet figuratum: tamen ista vocetur, quia ea, quæ erant scopus sacrificiorum, præstabat; & cetera omnia hinc energiam mutuabantur. Liceret tamen cōcedere unicum esse Christi sacrificium: quia Paulus nō loquitur de sacrificio participatio, quod homini vim crucis impartiat; sed de eo, quod efficit, ac promeruit, ut inde hauriant uniuersa. Constat igitur vanum esse, quod dicunt passionem, & sacrificium esse prorsus eadem.

Nunc autem in fine mundi vno tempore, id est, semel. Omnia sunt emphatica. Vltimo tempore, quod iam inde à Christi morte vsque ad eius fuit alterum aduentum, quod excipietur beato immortalitatis seculo.

Obtulit sese per sacrificium suum. Notat peculiarem ritum, & ceremoniam oblationis Christi. Istud enim pronomen non tantum denotat Christum hand alieno sanguine, & diuersa à sese usum victimæ, sed peculiarem offerendirationem: quia non erat rotundum, & notæ definitionis sacrificium; licet hoc nomen sortiatur, quia id perficeret, quod intendebat.

Vt aboleret peccatum. Dictum est ad caput 2. vocem syram significare talem quassationem, & violentiam illatam alicui, post quam vix possit membrum vllum mouere. Ita Christus technis, insidijsq; ac viribus mortē spoliauit; ut nē hiscere quidem valeat aduersus veros Christi sectatores. Hic multa dicuntur à Patribus, cur in fine mundi hoc potissimum

fit factum, aiuntq; omnes ita morbi rationem possu-
lasse. At n̄ est bellis, diluvijs, incendijs, philosophia,
lege, & alijs innumeris beneficijs: quibus tandem ab-
sumptis, nec restituta sanitate; necessarius fuit filij
Dei aduentus.

Et quemadmodum statutum est filijs ho-
minum, &c. Dubitant nonnulli utrū hoc dica-
tur, Homines per legis primæ violationē addacti sunt
ad mortem: an simpliciter, Neceſſe eſt quodam de-
creto Dei mori. Vtraque ſententia eſt vera; ſola po-
ſterior germana. Videtur itaque Paulus iſtud ad-
ferre, vt crucis ignominia diminnuat. Præclara qui-
dē adfers, Paule: ſed quare non manſitin vita no-
ſter ſacerdos? Quodā ductu, & lege natura, vti om-
nes homines, & ipſe natura obſecutus neceſſitati, quā
ſuſceperat; mori debuit.

Sic & Chriſtus vno tempore oblatus eſt. Nō
ſimpliciter eſt mortuus, ſed per modum ſacrificij.

Et in ſeipſo ſacrificauit peccatum multo-
rum. Alludit ad ritum veteris ſacerdotis, qui ſiſtens
Deo victimam, vel hircum emiſſarium, manus im-
ponebat capiti; plebis enumerans omnia peccata, &
hoſtia quodam modo imponens. Ita Chriſtus noſtrū
omnium iniquitates in ſe ſuſcepit; vt penitus expia-
ret. Dicitur ergo ſacrificaffe peccatum: quia per ſa-
crificium, veluti numerato pretio, impetrauit remis-
ſionem peccatorum. Et ſic apparet, quæ ſit intelligen-
tia verbi græci ἀνέβη, quod accipiendū eſt de tali
ſacrificatione (vt ita loquar) qua vniuerſa peccata
remouentur, ac tolluntur.

Secundō autem abſque peccatis, &c. Redi-
bit, non indicandus; ſed index: non amplius peccata
mundi

mundi in se recepturus; sed grauiter in omnes ingratos, & immorigeros animaduersurus. Quapropter vos, Hebræi, ad hunc confugite, eiusq; sacrificij participes effici sat agite; quod alijs in perniciem, alijs qui fide, spe, & charitate ad ipsum confugiunt, cedit in salutem.

CAPVT DECIMVM.

APVT istud in primis germanā aliquot locorum interpretationem asseret; deinde non leuiter hæreticorum strophas elideret; ac postremo mirā in modum ad perdurandum in virtutum curriculo, vitiaq; detestanda inflammabit. Quod si quid his pro argumēto sit adiciendum: pergit Apostolus ostendere vniuersa legis antiquæ infirma fuisse, legem autem gratia cuncta præstare, quæ apud Moysen præfigurata, non exhibita fuere. Hinc digreditur ad Christianorum exhortationem, vt memores bonorum suorum, in fide perseuerent: simul & timorem incutit, quod sit periculosissimum, & multò sceleratius, post acceptam gratiā iterum peccare. His addit Hebræorum quoddam encomium, quod cātenus fortiter fecissent. Nè tamen ea laus ad arrogantiam deuergeret, sollicitos esse præcipit, ob instantem iudicii diem: qui dum expectatur, interea patienter omnia sunt aduersa toleranda.

Domi-